



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 63. Creatio Cardinalium

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

iis vero, quæ sub Innocentio VIII. ejusdem Successore typis impressa fuere, idem officium majori cum solemnitate celebrandum indicitur. Successu temporis, ac sub finem Sæculi decimi quinti Galliarum & Belgii Ecclesiæ hanc festivitatem debita religione colere cœperunt, earumque exempla nonnisi sequenti ætate imitatae sunt aliquæ Germanorum, atque Hispanorum Ecclesiæ. Idem Pontifex S. Francisci celebritatem, indicta etiam servilium operum abstinentia celebrari jusserat; id tamen abrogatum fuit in sæculo decimo sexto, solo retento illius officio, quod in quibusdam Ecclesiis sub duplici, in aliis sub semiduplici ritu peragitur.

Sæcul. XV.
A.C. 1481.

§. LXIII.

Creatio Cardinalium.

Ineunte hoc anno summus Pontifex S. Collegium quinque Cardinalibus auxit, quorum nomina sunt. I. Paulus Fregosus patria Genuensis Cardinalis Presbyter tit. S. Vitalis, postea S. Clementis. II. Cosmus de Melioratis ab Urfinis, Romanus, Archiepiscopus Tranen- sis, Presbyter Cardinalis tit. SS. Nerei, & Achillei. III. Fridericus de Cluniaco, natione Gallus, Episcopus Tornacensis, Presbyter Cardinalis tit. S. Vitalis;

*Onuphr. in
Sixt. IV.*

F 2

lis;

Sæcul. XV
A. C. 1481.

lis; IV. Joannes Baptista Sabellius Romanus Cardinalis Diaconus tit. S. Nicolai in carcere. V. Joannes Columna patria Romanus, Episcopus Reatinus Cardinalis Diaconus tit. S. Mariæ in Aquiro.

§. LXIV.

Imperator a Matthia Hungariæ Regi bello petitus.

Bonfin. dec 6
Palmer. in
Chron.

Cum Mahometes vivis ereptus esset, atque ambo ejusdem filii mutuis dissensionibus inter se colliderentur, peropportuna Matthiæ Hungariæ Regi offerebatur occasio, qua Mysiam, Illiricum & Daciam recuperaret: quapropter omnium cunctatione remota copias suas contraxit, ac cum illis in hasce Provincias movit. Cum vero eodem tempore ipsi nuntiatum esset, Cæsaris exercitum in superiorem Pannoniam populandum irrupisse, interrupta expeditione Turcica arma sua in Imperatorem convertit, atque inito foedere cum Stephano Valachiæ Vaivoda, Austriam ingressus, plurima oppida cepit, ut postmodum referemus. Fertur tamen, hasce vastationes Imperatore inscio a suis belli Præfectis adversus Matthiam tentatas, eas vero a Friderico, simulac de iis certior factus esset, quantocius inhibitas fuisse.

§. LXV.